

ipso. Unde hæc instantia neququam urget, sed potius favet conclusioni nostræ. Videantur etiam dicta superius cit. tit. *de Officio judicis ordinarii*, § 3. n. 78 et 18.

27. *Si superiores illi sint æquales domini, tenetur quis obedire utrique, si potest.* — Resp. II. Quod si vero ex duobus illis superioribus neuter sit superior altero, sed vel sint æquales domini, atque æqualis jurisdictionis, puta duo episcopi, quibus quis vovit obedientiam, vel saltem ex diversis titulis est quis subjectus ambobus; tunc si talis potest utrique obedire, tenetur ad hoc, l. *Duorum libertus*, ff. *de Operis libertor.* et l. *Si quis gravi*, § *Si cum omnes*, ff. *Ad S. C. Syllanianum*.

28. *Quod si utrique obedire nequeat, tenetur obedire illi, cui majori vinculo, seu potiori titulo est obligatus.* — Si vero utrique nequit obedire, ut quia præcipiunt contraria, vel simul impossibilia; tunc tenetur obedire illi, cui majori vinculo, sive potiori titulo est obligatus. Ita Hostiensis in *Summa*, num. 6. § *Quid si domini*, h. t.; card. Tuschus, loc. cit. et alii. Siquidem generale est, quod major potestas minori præponatur ad obediendum, can. *Quæ circa*, dist. 8. Atqui major illa potestas non solum consurgit ex dignitate majori prælatorum, sed etiam ex majoritate, seu potioritate tituli, quo quis tenetur obedire; prout ostenditur inductione.

29. *Declaratur hoc exemplis.* — Sic imprimis, qui duobus episcopis juravit obedientiam, ac nequit obedire utrique, eo quod diversa, seu impossibilia præcipiant, tenetur obedire illi, cui primo juravit; quia juramentum primum licitum servandum est, et secundum, quatenus contrariatur priori, non tenet, c. *Veniens*, 16, et c. *Intellecto*, 33, *de Jurejurand.* Hostiensis ubi supra.

30. *Declaratur hoc exemplis.* — Deinde, quando filius familias cupiam aliquid sub juramento promisit, si patri oppositum præcipienti humiliter obediat, non fit perjurus, (dummodo præceptum paternum non procuraverit) imo tenetur patri potius obedire. Federicus de Senis, consil. 191. card. Tuschus, litt. O. cit. concl. 1, num. 1. et alii. Ratio est: quia filius per factum suum, seu per juramentum alteri præstitum, non potest tollere, aut vulnerare obligationem, qua de jure naturali, ac divino, suo parenti tot titulis tenetur. Accedit, quod jurans per secundam obligationem non possit præjudicari superiori; licet, in quantum in se est, teneatur eam observare, ex quo observari

potest sine peccato, c. *Si vero*, 8, *de Jurejur.*

31. *Declaratur hoc exemplis.* — Quod si vero pro eodem tempore pater præcipiat filio, circa rem domesticam, et judex, aut bellidux circa negotium reipublicæ, magis judici, aut duci obedire tenetur, quam patri, quia bonum publicum est præferendum privato. card. Tuschus, loc. cit. num. Engel, h. t. n. 70, ubi cum aliis doctoribus generaliter docet, quod inter pares potestate superiores ei sit obediendum, qui præcipit ad nobilitatem finem.

32. *Declaratur hoc exemplis.* — Rursus, quando quis ratione duplicis beneficii, vel officii legitime possessi, subjicitur jurisdictioni diversorum prælatorum impossibilia præcipientium, tenetur magis obedire illi, cui principaliter subest. arg. c. *Cum clericis*, 19, *de Verb. signif.* vel cæteris paribus, a quo majus beneficium habet, arg. c. *Cum in officiis*, 7. et c. *Relatum*, 12. § *fin. de Testament.* et cap. ult. *de Postulando*. Quod si vero omnia sint æqualia, locus est gratificationi, arg. l. *Si quis gravi*, § *Si cum omnes*, ff. *Ad S. C. Syllanianum*, ac notat Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 6. § *Sed quid si*.

33. *Clericus magis tenetur obedire episcopo, quam principi sæculari contrarium præcipienti.* — Tandem, quia episcopus in sua diocesi major est quocumque principe sæculari, cum spiritualia sint temporalibus digniora, c. *Illud*, 5, h. t. adeo, ut omnes principes episcopo loci teneantur obedire in pertinentibus ad pastorale officium suum, c. *Omnes principes*, 4. et c. *Solutæ*, 6. eod. atque idcirco sanctus Ambrosius episcopus Mediolanensis, Theodosium Magnum imperatorem excommunicare non formidaverit, can. *Duo sunt*, dist. 96, sicut et S. Stanislaus, episcopus Cracoviensis, excommunicavit Boleslaum regem Poloniæ. Hinc sequitur, quod clerici magis teneantur obedire episcopo loci in pertinentibus ad ejus officium, quam cuicumque principi sæculari contrarium præcipienti: etiamsi huic subsint ratione honorum temporalium quorum jacturam pertimescere possunt, cit. c. *litua*, h. t. ibi: « Non debuerant pro temporali commodo inobediendiæ notam incurere; » vel in alio licito, ac honesto servitio illius principis sæcularis detineantur: ubi enim contraria præcipiuntur, tunc majori domino obediendum est, cit. can. *Qui resistit*, 11, q. 3, cum similibus. (ADNOTATIO XIV.)

34. *Inobediens decretis episcoporum, vel præ-*

latorum ecclesiasticorum, excommunicari debet.

— Quæritur IV. Quæ sint pœnæ inobedientis? Resp. I. Si quis decretis episcoporum, aut aliorum prælatorum ecclesiasticorum, per contumaciam non obtemperaverit, excommunicari debet. Textus est in cap. II, h. t. ibi: « Si quis venerit contra decretum episcopi, ab Ecclesia abjiciatur. » Concordat can. *Si autem vobis*, 11, q. 3. Quanquam hæc excommunicatio non sit lata sententiæ, sed primum ferri debeat contra inobedientem, ut resipiscat; prout innuitur citatis illis verbis: « Ab Ecclesia abjiciatur, » id est, excommunicetur.

35. *Dummodo inobediencia sit notabilis, et conjuncta cum contumacia.* — Adde, quod talis pœna excommunicationis non sit infligenda, nisi propter inobedientiam, quæ spectatis omnibus circumstantiis sit peccatum mortale, simulque conjuncta cum contumacia, can. *Nemo episcoporum* et can. *Nulius sacerdotum*, 11, q. 3. ac notat Abbas in cit. cap. II, num. 1, h. t.

36. *Abbatissa nequit excommunicare propter inobediencia sibi subjectos, nec clericos stricte suspendere.* — Excipe tamen abbatissam; hæc quippe canonicas suas, et clericos suæ jurisdictioni subjectos, propter inobedientiam excommunicare non potest, c. *Dilecta*, 12, h. t. eo quod excommunicatio pertineat ad claves Ecclesiæ, quarum potestas non competit fœminis, c. *Nova*, 10, *de Pœnit. et remiss.* Quæ de causa etiã abbatissa nequit proprie, ac stricte, suspendere ab ordine clericos sibi subjectos, ea scilicet suspensione, cujus violatio inducit irregularitatem; licet large loquendo possit ipsos suspendere a beneficio, subtrahendo videlicet eis beneficium, aut ipsis præcipiendo, ne celebrent, donec satisfecerint, idque ratione jurisdictionis, quam ex speciali jure, ut puta ex longæva consuetudine, vel privilegio, in eos forsitan acquisierit, arg. c. *Dilecta*, 12. et notat Abbas, ibid. n. 5, h. t.

37. *Potest tamen implorare officium superioris, ut ipse tales excommunicet, aut suspendat.* — Quamvis autem abbatissa nequeat excommunicare, vel proprie clericos suspendere; potest tamen implorare officium superioris, ut ipse excommunicet, vel suspendat contumaciter inobedientes, juxta cit. c. *Dilecta*, § et Abbatem, ibid. n. 3.

38. *Non obediens canonicis institutis incurrit infamiam; et qualem?* — Resp. II. Insuper non obediens canonicis institutis incurrit inobediendiæ notam, id est, infamiam.

Patet hoc ex c. *Illud Dominus*, 5, h. t. juncto summarie, et doctoribus, ibid. Quamvis hæc sit talis infamia canonica, qualis oritur omni peccato mortali, quo per pœnitentiam, et sacerdotalem auctoritatem sublato, tollitur et infamia, can. *Illi qui*, 6, q. 1. et observat Abbas in cit. c. *Illud Dominus*, Not. 2. (ADNOTATIO XV.)

TITULUS XXXIV.

De Treuga et Pace.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quamvis post *Tractatum de prælati et judicibus ecclesiasticis*, mox de ipsis judiciis tractandum videretur, nihilominus præmittendum censuit compilerator juris canonici *Tractatum de Pace et Treuga, Pactis et Contractibus*, et aliis hujusmodi, quibus litigantes partes ad pacem et concordiam revocari possunt.

2. *Judicium ecclesiasticorum est, discordantes ad pacem reducere. Bonarum mentium est, lites execrari.* — Et merito id factum: tum quia judicium ecclesiasticorum est, discordantes ad pacem reducere, ut habetur dist. 90, per totum; tum quia præstat, ut, si fieri possit, dissidentes ac litigantes tempestive propriis pactionibus, atque transactionibus, seu aliis opportunis modis, ad concordiam revocentur. Litigia quippe ac dissensiones criminum præbent occasionem, suntque multorum causa malorum, Clem. *Dudum*, § 1, *de Sepultur.* Unde et bonarum mentium est, lites execrari, arg. l. *Item si res*, § *fin.* ff. *De alienat. judic. mutand. caus.* et inter alios notat Fagnanus in c. *Conquestus*, n. 53, *de Feriis*. Incertus est enim lites eventus, simulque cogitandi sunt sumptus ad ejus prosecutionem necessarij, arg. l. *Quod debetur*, ff. *de Peculio*.

3. *In litibus, seu controversiis causarum, quæ mala oriuntur?* — Pulchre sane S. Ivo, advocatorum patronus (ut post Rebuffum tom. I, *Ad leges Gallie*, in proœmio, Glossa 5, n. 154, refert Barbosa, part. III *de Offic. et potest. episcop.* allegat 78, n. 14.) dicebat « quod in controversiis causarum capitales inimicitia oriuntur, fit amissio expensarum, labor animi exercetur, corpus quotidie defatigatur, multa et inhonesta crimina inde consequuntur, bona et utilia opera postponuntur: et qui semper credunt oblinere, frequenter suc-

ambunt : et si obtinent, computasit laboribus et expensis nihil acquirunt. » Unde tutor est pax incerta victoria; et satis lucratur qui se a litibus eximit. Atque, ut habet vulgi adagium : « Tennis transactio præstat pingui sententiæ : » incertus enim est litis eventus, **L. Quod debetur. ff. de Peculio.** Et quod omnia alia superat, divinum monitum Salvatoris est **Math. cap. v. vers. 40. Si quis vult tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium : et quicumque te angariaverit minime passus, vade cum illo et alia duo.** Quibus quantum ad connexionem rubricarum prænotatis,

4. Pax, quid? — Quæritur I. Quid sit pax, et quæ ejus commoda? Resp. I. Pax, est totalis, et perpetua discordiæ peremptio, voluntarie inter litigantes facta. Ita in re communis. Dicitur imprimis, « totalis et perpetua discordiæ peremptio : » ad differentiam treugæ temporalis, seu induciarum ad tempus initarum, de quibus in progressu. Et additur, « voluntarie facta, » hoc est, mutuo litigantium consensu inita; haud obstante, quod quandoque alterutra pars armis succumbens cogatur invita pacem inire : nam etiam coacta voluntas est voluntas, can. **Merito, 15, q. 1,** juncta Glossa, ibid. **ŷ. Vult.** cum concordantiis. Simulque finis belli, pax est et securitas; nam ideo bellum geritur, ut pax acquiratur. can. **Noli, 33, q. 1.**

5. Et quæ ejus commoda? — Resp. II. Pacis plurima, et insignia sunt encomia et commoda; ipsa enim est vinculum charitatis. c. **Novit, 13, § Licet de judiciis.** discordiæ finis, Hostiensis in **Summa, h. t. n. 2.** omnium rerum mater, et nutrix : nam gratæ pacis insigniis omnia vigere cernuntur, crescunt opes, vigent leges, floret reipublicæ disciplina, fervet religio, valet æquitas, pollet humanitas, uberius est quæstus pauperum, splendidior opulentia divitum. Barbosa in **Summario, h. t. n. 1.** Christus veniens docuit pacem, dedit pacem, reliquit pacem, can. **Nisi bella, 23, q. 1.** nec nisi toto orbe terrarum in pace composito Unigenitus Dei Filius in mundum venire, nascique dignatus est, **Martyrologium romanum** die 25 decembris. Tantaque sunt universi pacis commoda, ut poetæ canere licuerit :

Nulla salus bello, pacem deposcimus omnes.

6. Treuga, quid. — Quæritur II. Quid, et quotuplex sit treuga? Resp. I. Treuga est securitas, personis et rebus ad tempus præsti-

ta, discordia nondum finita. Ita Hostiensis in **Summa, h. t. num. 1;** Vallensis, eod. num. 1 et alii. Dicitur notanter, « securitas ad tempus præstita, » quia per hoc treuga differt a pace, quod hæc sit totalis peremptio discordiæ, non sic treuga.

7. Induciæ, quid, et an differant a treuga? Treugæ vocabulum quale? — Porro treugæ in jure civili alio nomine vocantur **Induciæ** (vulgo armistitium), ut **L. Postliminium. ff. de Captivis, et postlim. revers.** ibi : « Induciæ sunt, cum in breve, et in præsens tempus convenit ne invicem se lacessent. » Et quamvis Glossa, ibid. **ŷ. Lacessent.** assignet differentiam, quod treugæ ad longum tempus, induciæ vero ad breve tempus concedantur; communiter tamen sumuntur pro synonymis, nisi quod **Induciarum** vocabulum sit latinum, **Treugæ,** vero gallicum, ut inquit Vallensis, et Pirhing **h. t. n. 1.** vel italicum, sive barbarum, ut loquitur Zoesius, eod. n. 3.

8. Treuga est duplex. — Resp. II. Treuga duplex est, videlicet alia conventionalis, et alia canonica seu legalis. Ita Glossa in cap. **ŷ. Frangere** h. t. communiter recepta. Et quidem

9. Conventionalis, quid? — « Treuga conventionalis » dicitur, quæ ex libera litigantium voluntate inicitur : adeoque ex conventionione formam et modum recipit, non minus ac quilibet contractus. Et hujusmodi treugæ, seu induciæ, semper et quidem de jure gentium, sunt servandæ; arg. can. **Jus gentium, dist. 1** ubi inter alias etiam **paces, induciæ** ad jus gentium revocantur. « Treuga canonica seu legalis » est, quæ per canonem seu legem constituta est; de qua fit mentio in cap. I et II, h. t. Ubi imprimis in concilio Lateranensi, sub Alexandro III celebrato, sub pœna excommunicationis, et aliis pœnis statutum habetur, ut « treugæ a quarta feria post occasum solis usque ad secundam feriam in ortu solis, ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad octavas Paschæ ab omnibus observentur. » Verum hic canon cum suis pœnis non est usu receptus, nec proinde hodie tenet; ut notat Glossa, ibid. **ŷ. Frangere,** Innocentius, et expositores compuniter.

11. Treugæ canonice, cur fuerint statuta. — Addit novissime, ac multipliciter probat Gonzalez Tellez in **Commentar. ad cit. cap. I. h. t. n. 9, et n. 18,** dictas treugas canonicas in concilio Lateranensi fuisse statutas contra bella privata, quæ olim satis vigeant, et nec

egibus probata erant, nec omnino improbata rejeriebantur; non autem procedere de bello, justis de causis, et publica auctoritate indicto.

12. Enumerantur personæ, quæ tempore guerræ gaudeant securitate. Sævre in foeminas et pueros, semper foedum habebatur. — Deinde in cap. **Innovamus, 2, h. t.** innovatur statutum antiquius in can. **Si quis Romipetas,** et can. **Paternarum, 24, q. 3,** jam contentum, ut tempore guerræ, « presbyteri, monachi, conversi, peregrini, mercatores, rustici euntes et redeuntes, et in agricultura existentes, et animalia, quibus arant, et semina portant ad agrum, congrua securitate lætentur. » Hæc ibi. Ratio est : quia tales personæ vel non sunt partes, ac membra reipublicæ, contra quam bellum offensivum geritur, ut peregrini; vel saltem juxta præsumptionem juris, ac nisi contrarium de ipsis ostendatur, censentur innocentes, et personaliter non nocere, nec esse injuriæ auctores, vel cooperatores, ut presbyteri, monachi, rustici agriculturæ vacantes, et hujusmodi. Quibus vel maxime accensentur pueri ac mulieres, ipsa natura, et sexus conditione, talium innocentiam esse præsumendam docente : unde sævre in foeminas et pueros, semper foedum habitum fuit; cum ipsamet lex divina hos occidere vetaverit, **Deuteron. cap. xx, 14.**

13. Treugæ canonice, an sint usu receptæ. — Cæterum quod etiam istud capitulum, quantum ad hoc, ut tempore belli personæ ecclesiasticæ, rustici, eorumque animalia gaudeant plena securitate, non sit usu receptum, asserit cum aliis Engel, **h. t. n. 3.** cum hostilibus furor ægre legibus coerceatur, quando inter arma silere leges, satis misera probat experientia. Vel dicendum cum cit. Gonzalez Tellez in cap. II, n. 9, h. t. in hoc capitulo mentionem esse de treugis canonicis, ac securitate enumeratis personis congrue concedenda in bello privato, juxta superius numero 11.

14. Innocentes in bello occidere an liceat? — Verum, quidquid sit de hoc, innocentes perse, atque ex intentione in bello occidere, illicitum non est, juxta illud **Exod. cap. xxiii, 7, Daniel, xiii, 53,** ac tamene naturæ notam : **Innocentem, et justum non interficias.** Per accidens tamen, ac præter intentionem aliquando possunt etiam innocentes occidi, ut patet, si bellum aliter geri, vel victoria obtineri nequit, nisi innocentes una cum nocentibus, quibus permixti sunt, simul occidantur, prout

accidit in arcium eversione, urbium expugnatione, ac hujusmodi. Nam ratio boni communis præponderat privato.

15. Hostem fallere stratagemate aliquo est laudabile — Quæritur III. An cum hostibus inita pax, et treuga frangi possit? Resp. I. Etsi hostem fallere dolo, seu solertia et stratagemate aliquo sit laudabile, fidem tamen ipsi datam, seu pacta cum eo inita violare non licet. Ita communis. Et quidem prior pars ex eo liquet; quia datur « dolus bonus, » videlicet pro solertia acceptus, maxime contra hostes publicos, **l. 1. § Non fuit. ff. de Doto malo.** Unde et in sacra Scriptura sæpius laudantur illi, qui hostes ex insidiis, seu stratagemate devicerunt, ut **Josue, cap. viii et Judic. cap. xx. vers. 29, et I Reg. cap. xv. et alibi sæpius.**

16. Fidem tamen ipsi datam violare non licet. — Altera pars patet ex can. **Noli existimare 23, q. 1.** ubi dicitur : « Fides, quando promittitur, etiam hosti servanda est. » Nec obstat, quod dolo hostem fallere liceat; aliud enim est, ponendo insidias, vel aliquid in pactum nullatenus deductum simulando hostem callide circumvenire; aliud, fidem datam, inducias, et pacta promissa violare. Illud omne jure est licitum, atque laudabile; istud illicitum, ac non solum juri gentium repugnans, can. **Jus gentium, dist. 1.** sed etiam juri naturali contrarium, utpote quo mentiri nunquam licet, et pacta legitime inita custodiri mandantur, ut cap. I, **de Pactis.** Idque vel maxime procedit in pactis, seu conventionibus publicis, quæ fiunt per principes, aut quando belli duces quædam inter se paciscuntur. arg. **1. Conventionem. ff. de Pactis.**

17. Si facto publico violatur per hostem pax aut treuga, illico altera pars potest arma reassumere — Resp. II. Quando pax, vel treuga, facto publico ab una parte violata est, tunc ipsa illico dissolvitur ex parte altera, adeo ut hæc absque nova indictione belli possit arma reassumere : secus est, quando violatur facto dumtaxat privato : tunc enim satisfactio antea petenda est. Ita Gonzalez Tellez in cap. II, n. 16, h. t. sic concordans alias doctorum sententias. Ratio primæ partis est : quia dictum illud, quod hosti etiam fides promissa servanda sit, intelligitur sub illa tacita conditione, si et ipse tunc servaverit, arg. c. **Pervenit 3 de Jurejurand.** et amplius notant Glossa fin. et doctores ibid. Ergo violata per hostem pace, vel treuga facto publico, seu publica auctoritate peracto, cessat illico pars inno-

cens ad ulteriorem ejus observantiam obligari : « nam frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat, » ut habetur, reg. 75 juris in 6, cum similibus. Unde illud vulgatum: « Frangenti fidem, fides frangatur eidem. »

18. *Secus, si ea violetur facto dumtaxat privato.* — Altera pars ex eo suadetur; quia pax, et treuga conventionalis, non nisi publica auctoritate stabiliuntur; ergo etiam non nisi publico facto, seu publica auctoritate peracto rescinduntur, juxta reg. 1. juris: « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » Concordat textus in l. *Nihil tam naturale.* ff. *de Reg. jur.* cum similibus.

19. *Tunc enim satisfactio prius petenda est.* — Quod si igitur agatur contra pacem, vel treugam conventam facto dumtaxat privato, tunc illico licet arma reassumere in perniciem, et perturbationem totius reipublicæ. Si enim « non debet aliquis alterius odio prægravari, » juxta reg. 22. juris in 6. cum concordantiis; multo minus convenit, ut facto privatorum tota respublica turbetur, ac prægravetur. Quin potius, cum peccata suos auctores tenere debeant, c. *Quæsit.* *De his quæ fiunt a major parte. capit.* antea debitam a transgressoribus satisfactionem petere oportet: prout in simili habetur l. *Venditi actio.* C. *de Action. empt.*

20. *De bello remissive.* — Posset hoc loco commode tractari de bello, utpote quod paci opponitur, sicut a pluribus canonistis sub præsentis titulo examinatur. Verum quia de bello, et variis ipsum concernentibus, ex professo jam egi in *Theologia morali*, tract. 4, distinct. 7, quæst. 4, illuc benevolam lectorem remittendum censui.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

1. *Pactum, unde sic dicatur?* — Viso de treuga et pace, merito præsens et proxime sequens rubrica subjungitur; eo quod variis pactis, et transactionibus, sæpenumero partes litigantes ante litis ingressum, cujus plerumque dubius est eventus, inter se pacem inire soleant. Quinimo « Pactum, quasi ex pace factum appellantur, ut legitur in c. *Pactum.*

11. *de Verb. signif.* Concordat textus in l. 1. ff. *de Pactis*, ibi: « Pactum a pactione dicitur: unde et *pacis* nomen appellatum est. » Dividitur autem præsens utilissimus titulus, majoris claritatis gratia, in distinctos paragraphos, nonnulla etiam addendo de contractibus in genere, utpote de quibus alibi in jure canonico ex professo non agitur.

§ 1.

DE NATURA, ET DIVISIONE PACTORUM, HORUMQUE EFFECTU.

2. *Pactum, quid sit?* — Quæritur I. Quid sit pactum, et an differat a contractu? Resp. I. « Pactum est duorum, vel plurium in idem placitum consensus. » Ita habetur in l. 1. ff. *de Pact.* Nec in re differt data definitio ab ea quæ refertur in d. c. *Pactum, de Verb. signif.* ibi: « Pactum dicitur inter partes ex pace conveniens scriptura, legibus et moribus comprobata. » Nam ly « scriptura » non vult quasi pactum sine scriptura fieri non possit; sed per hoc ideo dicitur, quia sæpe intervenit scriptura, et ad meliorem probationem pacti interponitur, ut explicat Glossa ibidem.

3. *Pollicitatio, quid, et quomodo differat a facto?* — Dicitur primo, « pactum est duorum consensus. » Per hoc siquidem differt pactum a pollicitatione: nam « pactum est duorum consensus, atque conventio (videlicet ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum); » « pollicitatio vero offerentis solius promissum; » ut dicitur in l. 3. ff. *de Pollicitat.* Deinde pactum simul atque perfectum est, statim jure naturæ obligat; pollicitatio vero non obligat promittentem, nisi postquam ab altera parte fuerit acceptata, ideoque promittenti ante acceptationem alterius pœnitere licet, et pollicitationem revocare. l. *Absenti.* ff. *de Donationib.* et amplius probat Engel. h. t. n. 1.

4. *Ad pactum requiritur reciprocus duorum in idem consensus.* — Dicitur secundo, « in idem placitum consensus, » hoc est, placitum et voluntarius in idem consensus, ut explicat Glossa in cit. l. 1, ff. *de Pactis.* §. *Placitum*; tum quia ad rationem pacti validi omnino requiritur liber pacipientium consensus seu conventio; tum quia talis « consensus » debet esse in idem, hoc est, respectu ejusdem rei, simulque reciprocus. Unde ad pactum non sufficit, ut quovis modo duo in idem consentiant, sed requiritur ut consensus suos

in se mutuo dirigant. Atque ideo, si duo communi consensu conveniant, atque promittant, sese cuipiam tertio daturus certam rem, talis conventio nondum habet rationem pacti, antequam sit acceptata ab illo tertio, ejusque consensus reciprocus accedat; bene tamen post hujus acceptationem, quia tunc intervenit vera conventio, seu mutuos, ac reciprocos duorum in idem consensus.

5. *Pactum differt a contractu, velut genus a specie.* — Resp. II. Pactum est nomen genericum, nec differt a contractu et transactione, nisi sicut genus a specie. Ita in re communis; et patet ex l. 1 ff. *de Pactis*, ubi dicitur, quod « Conventionis, seu pacti nomen generale est, » quamvis postmodum « Conventionum pleræque in aliud nomen transeant, veluti in emptionem, in locationem, in pignus, » et hujusmodi; respectu quarum proinde conventio, seu pactum ut sic, obtinet rationem generis. Merito tamen, dum pactum assumit sibi rationem seu differentiam specificam, v. g. emptionis, non amplius denominatur a suo genere, sed a specie, utpote digniori. Verum occasione hujus conclusionis,

6. *Contractus proprie dictus, quid?* — Notandum est cum Glossa in § *Omnium autem.* §. *Prius est.* instit. *de Obligationibus*, et doctoribus communiter, quod contractus in jure dupliciter accipiatur, proprie videlicet, et improprie. « Contractus proprie » acceptus dicitur, quando uterque contrahentium obligatur. Et de hoc procedit textus in l. *Labeo.* ff. *de Verb. signif.*, ubi dicitur, « contractum esse ultro citroque obligationem, quod Græci *συνδλλαγμα* vocant, veluti emptionem, venditionem, locationem, conductionem, » et hujusmodi. Illa quippe translatio rei, hujusque accommodatio, quæ non est mere liberalis, sed ubi transferens expectat aliquid æquivalens ei, quod transfert, « proprie dicitur contractus, quia ibi simul trahuntur voluntates partium: trahitur enim iste ad transferendum in illum a commodo, quod expectat ab illo, vel expectat transferendum in se: » prout recte notavit Doctor subtilis in 4, dist. 15, quæst. 2. § *De secundo.* §. *Alia translatio.*

7. *Improprie dictus contractus, quid?* — Contra « contractus improprie » dictus est, quando unus tantum contrahentium obligatur, ut fit in donatione, in mutuo, et aliis contractibus gratuitis, ubi donans solummodo astringitur ad tradendam rem donatam, vel mutuo accipiens ad reddendum mutuum; et sic loquendo de aliis.

8. *Transactio, quas conventiones complectatur?* — Cæterum transactio eas complectitur conventiones, quibus res dubiæ, ac lites incertæ terminantur, et quidem aliquo dato vel retento, promisso vel remisso: prout amplius patebit ex dicendis tit. seq. § 1.

9. *Pactum continet sub se omnes contractus, et transactiones.* — « Pactum » vero, veluti genus, complectitur sub se quoscumque contractus, sive onerosos ac proprie dictos, sive gratuitos, simulque transactiones; nam hæc omnia sunt quædam conventiones, seu consensus plurium in idem placitum.

10. *Cum eo tamen coincidit contractus large sumptus.* — Per hoc tamen non negatur, quin in latiori quadam significatione *Contractus*, omne pactum quamdam inducens obligationem sub eo contineatur; sicque contractus large sumptus, seu prout est genus ad contractus tum proprie, tum improprie dictos, coincidat cum pacto generatim sumpto. Pirhing, h. t. n. 1. Mynsinger in § *Omnium autem.* n. 8. Instit. *de Obligationib.* et alii.

11. *Pacta alia sunt publica, alia privata.* — Quæritur II. Quomodo pactum ut sic dividatur? Resp. I. Illud varie dividi. Sic quippe imprimis *pacta* alia sunt *publica* (quæ et *federa* appellantur) et sunt illa, quæ fiunt per principes, aut quoties inter se belli duces paciscuntur l. *Conventionum.* ff. h. t. Alia vero sunt *pacta privata*, seu inter privatas personas inita.

12. *Alia expressa, alia tacita, et quæ?* — Deinde *pacta* alia sunt *expressa*, alia *tacita*; priora sunt, quæ claris verbis inter præsentem, vel per epistolam, aut nuntium inter absentes celebrantur; posteriora vero, quæ tacito consensu, seu re ipsa sine verbis fieri videntur: prout inter alia exempla tacitæ conventionis, quæ refert Glossa in l. *Item quia*, 4, ff. h. t. si quis reddat debitori cautionem, seu chirographum suum, censetur tacite pacisci de non petendo debito, ac istud remittere, l. 2. ff. *de Pactis.*

13. *Reddens debitori chirographum, censetur tacite debitum remittere: secus, si reddat ei pignus, et cur?* — Nec obstat, quod post pignus debitori redditum, si pecunia nondum soluta fuit, adhuc debitum possit peti, l. *Post pignus*, ff. eod. Resp. enim cum Glossa, et doctoribus ibidem, disparitatem esse; quia redditio chirographi nullam aliam affert utilitatem debitori, nisi ut eum liberet a solvendo debito: unde hanc afferre censetur, ne alias nihil agatur. Secus est in pignore; nam